



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Advertenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

& ob hæcenus à nemine visam, à me expertam profundissimam benevolentiam) Illust. D. Franc. Barretus commodavit, ut habere quod discerem ab ejus copiosissima Bibliotheca, ut habeo, quod admirer ab ejusdem sapientia. Querit igitur Pignatellus, an Episcopus possit Sacerdoti, sive seculari, sive Regulari, absolvendi facultatem negare, nisi juret, se aliquas opiniones probabiles non fecuturum? Respondet negativè.

N. I. Quia Regulari saltem approbato, ut idoneo, debet ex justitiæ rigore concedi absoluta, & non restricta absolvendi facultas, nisi gravissima causa obstet, teste C. de Lugo d. 21. de Pœnit. n. 60. & P. Suar. disp. 28. de Pœnit. sect. 1. n. 15. dicens, Episcopos graviter peccare aliter faciendo: ergo cum nulla causa obstet, nam opinio supponitur certò probabilis, nequit Episcopus absolvendi facultatem negare.

N. II. Quia Episcopus à Cornelio Papa interdictur insolita juramenta exigere, quin ab Urbano II. cap. Nullus Episcopus, vetatur Episcopis, ne de idoneitate Ordinandorum exigant juramentum: ergo, si de re adeo gravi, nequidem à Clericis Sæcularibus, qui Episcopis subjiuntur, exigi nequit juramentum, multò minùs à Regularibus, qui Episcopis non subduntur, poterunt Episcopi exigere juramentum de non sequenda hæc, aut illa opinione certò probabili.

N. III. Quia probabilitas opinionum, cum sit res gravissima, soli Papæ reservatur: ergo Episcopus nequit aliquam certò probabilem improbabilizare; & multò minùs de eà non sequenda juramentum exigere. Nec juramenti prætensionem fovet, quòd Confessores aliquando sequantur aliquas opiniones tamquam probabiles: esto enim hoc ita sit, non tamen peccat, ait Pignat. eò quia non defunt Authores, qui eas secuti fuerint, quod satis est ad conscientiæ securitatem, etsi oppositæ forent probabiliore.

N. Concludit dicendo, tutius fore remedium, vel Confessores monere, ne eas sequantur, vel obtinere, ut illæ damnentur. Etenim dum manent probabiles, nequeunt à Confessariis reprobari, quin juxta communem Confessarij tenetur absolvere pœnitentem opinioni probabili nixum, etsi à Confessore falsà judicaretur. Hæc doctus selectissimarum Consultationum Collector.

§. II.

Advertenda.

SUMMARIUM.

Datur in Ecclesiâ autoritas infallibilis impro-

babilizandi, & probabilizandi opiniones, n. 114.

DD. hoc negantes, ibid.

Soli Papa convenit judicium infallibile, dummodo ex Cathedra loquatur, sive præcedat, sive non, consilium Cardinalium, & examen TT. ibid.

DD. tuentes, & negantes, ibid.

Quibus infra Papam conveniat declaratio prudentialis de probabilitate? n. 116.

Fere omnes à Papa damnata, rejectæ prius fuerunt à TT. ut improbables, ibid.

Prudentialis declaratio alia est sine, alia cum jurisdictione, & quibus conveniat, n. 117.

Cui competat declaratio autoritativa circa matrimonium? Ibid.

Per hoc, quòd aliqua notetur ut improbabilis, non violatur Innoc. præceptum, n. 118.

Plerique Antiqui oppositam propriam dixere probabilem, ibid.

Necesse sepe est tam nimis strictas, quam nimis laxas rejicere, ibid.

Utraque multiplicanti peccata sine ratione, ibid. & n. 120.

DD. à S. Bonav. comparantur canibus, qui se non latrant, sunt pane indigni, ibid.

Antiqui vix durissimo verbo usi, & qualiter à TT. latrandum, n. 119.

Speciosum Divi Dominici Hieroglyphicum, ib.

Christus D. à D. Bonav. vocatur Liber lucis, ibid.

Episcopi specialiter latrare debent contra nimiam opinionis rigorem, aut laxitatem, n. 120.

Peccata spiritalia quæ longe difficilius curantur, n. 121.

Salutare Divi Anton. monitum, ibid.

Opinio, vel una loci circumstantia mutata, potest de probabili fieri improbabilis, n. 122.

Approbatio quid? n. 123.

Confessio sine Episcopi approbatione est invalida, & opposita damnatur ab Alex. ibid.

In Regularibus necessaria præterea Prælati licentia, ibid.

Approbatio differt à jurisdictione, ibid.

Non potest Regularis post examen reperiens idoneus rejici, ibid.

Magistri, & DD. egent etiam approbatione, ait Trident. n. 124.

Episcopi etsi possint omnes examinare, sepe non expedit, ibid.

Munus prudentis ex S. Bonav. ibid.

Confessarij idiora omnia absolvunt, ibid.

Laudatur Illust. Episc. Lorientis, n. 125.

Veritas tumentem mentem humiliat, ait S. Bonav. ibid.

In ordine ad praxim perinde est, sive jus absolvendi sit à Jure Divino, sive non, n. 126.

DD. tuentes, & negantes, ibid.

Certum

N. 114. **C**ertum 1. dari in Dei Ecclesiâ infallibilem auctoritatem declarandi, censurandi, improbandi opinionem olim reputatam tam intrinsecè, quam extrinsecè probabilem; & probabilizandi olim improbabilem, ut conitatur ex dictis *sect. 3. per totam*, ubi contra Caramuelem ostendi, quin contra M. Mart. de Prado, Murciam, Lumbier, Filgueiram, & alios, qui licet concedant auctoritatem improbandi extrinsecè probabilia; negant quoad intrinsecè probabilia, quod utrumque Caram. negat.

N. 115. **C**ertum 2. quod auctoritas improbandi iudicio omnino infallibili, utroque, aut alterutro modo probabilia, soli Rom. Pontifici, ut ex Cathedra loquenti conveniat; nulli autem quantumcumque selectissimo virorum cœtui, cuius iudicium nullatenus est omnino infallibile, ut ibidem ostendi. Ea enim infallibilitas iudicii solius Rom. Pontificis testis est, cuius ut instruentis Ecclesiam tanta est supereminentia, ut omne iudicium omnium simul Doctorum, etiâ collectivè sumptorum, excedat, & infirmet, ut rectè C. de Aguirre, P. Ripald. & alij à me citati hic *num. 73. 74.* Porro ea infallibilitas non convenit Papæ dumtaxat, si audiat Cardinalium Congregationem, & præmissis T.T. examine, ut probabilius putat

C. Aguirre, P. Ripald. *Lastra tit. 1. de Sum. Trinitate num. 47.*

Lastra, M. Arauxo 2. *2. questio. 1. articulo. 10.* sed etiam utroque omisso convenit, dummodo ex Cathedra loquatur, ut cum

Neuffe. *lyanthea d. 1. quest. 15. pag. 11.* qui cum Herinx, & Brancato prius *quest. 13. pag. 10.*

Herinx, Branc. docuerat, Papæ definitiones non egere acceptione, adeoque multò minus egere Concilio Cardinalium, & examine T.T.

Quin idè Neuff. *pag. 10.* ait sibi probabilius, quod et si Papa uni tantum Regno loquatur, indubitanter à Fidelibus omnibus observandum; & ideo infert cum P. Fabro, fide Divinâ post Alexand. VII. Bullam credendum, tum quòd objectum cultûs Deiparæ sit immunitas Deiparæ à labe originali, tum quòd talis cultus sit antiquus, pius, &c. *Id. dicta à n. 39. ad 47.*

N. 116. **C**ertum 3. quòd licet nulli infra Pontificem, et si selectorum virorum cœtui, conveniat iudicium fide Divinâ infallibile de opinionis improbabilitate, attamen Congregationibus, Universitatibus, Episcopis, Prælatibus, Theologis, convenire auctoritatem declarandi prudentialiter, & sæpe certò moraliter opinionem habitam, ut probabilem, non esse probabilem, est extra omnem dubitationis aleam, ut dicam *d. 2. n. 113.*

Tom. I.

Patet hoc inductione, pro quâ satis erit legere Catalogum opinionum olim probabilium, modo improbabiliū, quem texit P. Carden. *tom. 1. d. 9. cap. 7. & d. 11. cap. 8.* P. Carden. *tom. 2. d. 1. n. 80.* immo satis recurrere D. Thomam, & D. Bonaventuram, qui rem agis discussâ aliquam Magistris Sent. opinio. nem, suarum rationum calculo reddidere improbabilem. Patet 2. ex communi T.T. praxi, qui aliquas opiniones prudentissimè solent censurare, ut improbabiles. Patet 3. ex 27. ab Alexand. VII. damnata, asserente omnem opinionem, ut probabilem habendam, VII. donec à S. Sede rejiciatur, ut improbabilis; ut rectè Neuff. *d. 1. quest. 21. pag. 16. & d. 21. quest. 16. pag. 112.* Patet 4. quia vix erit opinio à Pontifice damnata, quæ prius à T.T. proscripta non fuerit, quin Pontifices hodie nullam damnare solent, nisi audito prius T.T. examine, & Cardinalium voto, quæ licet favcant prudentiæ Pontificis, nullatenus tamen, ut paulò antè dixi, ad Pontificis infallibilitatem sunt necessaria; ergo certo certius est, quòd T.T. Prælatibus, Congregationibus, Episcopis, insit facultas declarandi prudentialiter, et si non infallibiliter opinionis probabilitatem, aut improbabilitatem.

Certum 4. declarationem prudentialem, N. aliam esse sine jurisdictione, aliam cum illâ. Hac convenit cuique, qui iure jurisdictionis gaudet, ut sunt Inquisitionis, & Cardinalium Congregationes, Episcopi, Prælati Regulares, Universitates, &c. Illa convenit viris doctis omni jurisdictione carètib. Si declaratio prudentialis sit unita jurisdictioni, obligat enim ratione juris: si sit purè prudentialis, non obligat ratione juris, et si aliunde oriri possit obligatio; eo modo, quo, si servus declaret domino suo talem cibum veneno infectum, obligatur dominus abstinere à cibo, non ex iure servi in dominum, sed à lege naturali. Præfuit huic doctrinæ P. Sanch. *lib. 8. de Matr. d. 6.* cuius verba ponderabo *d. 11. n. 196. 215. 231.* ait enim, quòd viro docto conveniat declaratio prudentialis, an hoc, vel illud sit obex, an necessaria sit dispensatio, &c. At declaratio auctoritativa, si matrimonium sit inter Fideles, convenit Judici Ecclesiastico: si inter Infideles, Judici Sæculari: si Fidelem inter, & Infidelem, sequendum forum rei, ait *lib. 7. d. 3.* ergo, si ex P. Sanch. viro docto convenit declaratio prudentialis in materiâ adeo gravi, an tali matrimonio insit obex, an dispensatio necessaria, multò magis viro egregiè docto conveniet declaratio prudentialis de opinionis probabilitate.

Cij.

Certum

Certum 5. five improbabilitas sit, five non sit censura Theologica, ut dicam d. 2. n. 130. & d. 3. n. 11. & d. 10. n. 234. nullatenus Innocentij XI. Decretum violari per hoc, quod aliqua opinio censetur, ut improbabilis. Quā autem cautela in hoc opus sit, alibi docui. Hoc scio, quod S. Aug. S. Thom. S. Bonav. Scot. Alensis, alijque Antiqui, quin sapientiores ex omni ordine Moderni, in more habeant, oppositas propriæ vocare valde probabiles; & vix aliquam censuram, ut improbabilem. Scio, quod qui aliquam opinionem, ab integrâ scholâ Thomistica, Scotistica, Nominalium, aut S. Bonav. asserant, quin ab integrâ Scholâ inclytæ Societ. Jesu (ita pro suâ in Societ. benevolentia loquitur inclytus Scotista Bruno Neuss. in suâ Polyant. d. 1. pag. 15.) censuraret, ut improbabilem, censurandus foret; eo quia omnis talis integrâ scholæ opinio est, inquit, evidenter probabilis. Ut ergo nefas foret notare opiniones valido rationis, & autoritatis pondere fultas, & inter magnos T.T. etiamnum hodie incertas, ita fas erit, quin aliquando necesse, malè fundatas, præsertim si singulares sint, five ob nimium rigorem, five ob nimiam laxitatem, detracta simulata, five sanctitatis, & obligationis, five probabilitatis, immò probabilitatis, & certitudinis larvâ, reprobare ut improbabiles. Hunc enim in finem Deus præter infallibile Pontificis improbabilitatis judicium, cui omnibus captivo fidei assensu standum, providit alia, tum Tribunalia, quibus inest autoritativa declaratio, tum ubique Gentium T.T. & M.M. quibus inest declaratio purè prudentialis circa opinionum securitatem, & probabilitatem, antequam à S. Sede infallibiliter declarentur. Legatur P. Pollenter, qui eruditè ostendit, quod damnatæ à Pontifice fuere ante Pontificis sententiam à ferè omnibus Soc. T.T. scriptæ, ut improbabiles. Legatur S. Bonav. tom. 3. serm. 3. Dom. 2. post Epiphaniā, qui ait: *Verbum Dei medicina est anima, quam stulti infirmi abhorrent, hominum sustinentes linguam, qui potius cum Lazaro sustinere deberent linguam canum, seu Doctorum: & Serm. de S. Ant. de Paduā, sui temporis speculatoribus applicat textum Isaie 56. Canes muti non valentes latrare, videntes mala: subdit, Canes muti ad nihil utiles, unde nec pane digni.*

N. Latrandum ergo in Ecclesiā Dei: at non purè latrandum: non more canum agrestium, quorum integra anima, dentes, & lingua in horrendos clamores erumpens, æquè in domesticos, ac in fures latrans, æquè in Catholicos ad ovile per ostium intrantes, ac

in A catholicos per ostium non intrantes. Latrandum more Theologiæ Antesignanorum, à quibus, ut sapientia, ita & modestia discenda. Mirabile vix ullum in Magistro Sententiarum, in Alensi, in S. Th. in S. Bonav. in Scoto, in Ochamo, in S. Anselmo durissimum verbum, aut mordax scommata legi, ne quidem dum res illis erat cum Hæreticis, quanto minùs cum Catholicis; agentes causam, non exclamationibus inconditis, sed validis rationibus; non procacibus injurijs, sed fundatis argumentis; non carbonibus desolatorijs, sed mitissimâ luce, juxta lemma Christi D. Doctoribus appropriatum: *Vox estis lux mundi.* Latrandum ad normam S. Dominici, in Prædicatorum æquè ac Sapientissimorum Theologorum Ordinem à singulari Dei providentiâ Patriarcham instituti; de quo hodiernâ die legitur, quod mater gravis sibi visa est in alvo continere *Catulum facem ore præferentem*; ejusque in Factis habetur, quod supra centum millia hæreticorum argumentis suis ad Christi D. ovile revocavit. O præclarum SS. Doctorum hieroglyphicum! *Catulus facem ore præferens*: catulus, non canis grandævus dentibus omnia discerpens, sed catulus sine dentibus latrans: catulus facem ore præferens, nempe lucem spirans, lucidis argumentis erudiens, radijs suis mentis tenebras fugans, rem suam rationibus concludens, ponderans in libro lucis (hoc specioso titulo Christus D. à D. Bonav. 2. Sentent. d. 39. art. 2. quæst. 2. S. Bon. insignitur) quidquid Fidelibus illuminandis conferre potest: non catulus ignem devastatorem deferens (qui à Scripturâ vulpibus potius applicatur) latratibus inconditis, & injurijs invecivis incendia comminans, quasi verò Theologiæ causa similibus medijs (quorum nec Aristot. in suis Topicis, nec S. Th. ibid. meminit) promovenda esset, ut in more est alicui Moderno contra Probabilitatem.

Igitur à T.T. maximè ab Episcopis, qui N. ut nomen ipsum sonat, Speculatores in Dei Ecclesiā constituti sunt, latrandum contra opiniones, omni certâ, tam absolutâ, quàm relativâ ad opinionem oppositam, pensatis omnibus loci, & personæ, alijsque circumstantijs, probabilitate destitutas, five ut nimis rigidas obligando ad id, quod nulla certa lex obligat; five nimis laxas deobligando ab eo, ad quod certa lex obligat. Utraque enim habenas peccati laxat. Nimis rigida, impossibilitando legis observantiam rigore legis somniatæ. Nimis laxa, facilitando inobservantiam legis certæ.

Cavendum tamen vehementer, ne zelo indifere-

S. An-
tonio.

N.
122.

indiscreto, quo plerumque viri adustæ com-
plexionis, & ferrei iudicii abripi solent, ra-
pantur. Hi enim quò minoribus sensuum
peccatis subjacent, eò magis se illibatos pu-
tant, non considerantes, quòd nisi quis ple-
nè suis interioribus spiritualibus passioni-
bus assiduà suimet interiori mortificatione
dominetur, periculum erit, ne spiritualibus
peccatis, difficilius longè curationis,
quibus mali quoque Angeli subjacent, ut
sunt inflexibilitas mentis, indocilitas genij,
vindictæ desiderium, sui exultatio, alio-
rum contemptus, affectata foris sancti-
tas, & morum compositio, obruantur. Ca-
vendum, inquam, ne T.T. & multò magis
Episcopi zelo indiscreto triticum pro ziza-
nis eradicent, improbabiliando opinionem,
quæ omnibus pensatis, est certò probabilis.
Lege quod d. 11. n. 13. & 14. ex D. An-
tonino referam, qui reprehendit sui temporis
Confessores, & Prædicatores faciles in
declarando aliquid esse mortale; ait enim,
*quod quoties adfuit solemnium Doctorum opinio-
nes, periculosum sit dicere alteram damnabilem.*
Certum 6. contingere, ut dicam d. 11. n.
251. 257. ad 263. & alibi, quòd aliqua opi-
nio certò probabilis ob novam circumstantiã
fiat certò improbabilis; & vice versã. Patet
hoc passim. Si enim tollatur baptizandi in-
stantia, non licet baptizare cum luxurio; si ad-
sit, licet: si tollatur votum non edendi car-
nes, licet; si adsit, non licet: si juramentum
sequendi omnem Scoti opinionem auferatur,
licet opposita Divi Thomæ; si non au-
feratur, non licet: ergo patet, quòd certò
probabilis, mutata vel una circumstantiã, fiat
certò improbabilis, & e contra. Quare certa
opinionis probabilitas ab omnibus personæ,
loci, alijsque circumstantijs pensanda est. Ut
enim quod uno die, aut uni personæ licet,
fieri potest altero die, aut alteri personæ evi-
denter illicitum: ita quod in unâ Natione,
Regione, aut loco licet, potest ijs mutatis
fieri in aliâ Regione, & Diocesi certò illi-
citur. Sanè in Belgio, Germaniã, & Galliã
licet foeminis liberalior se componendi mo-
dus, licet osculum obviantibus sibi invicem
viris, & foeminis, familiaritate conjunctis:
neutrum tamen in Hispaniã, Lusitaniã, &
Italiã, calidioribus, & callidioribus, licet. Er-
go quod in unâ Diocesi licet, potest, adveni-
ente novâ circumstantiã, in aliâ Diocesi non
licere: ergo Episcopus, ejus Diocesis Specu-
lator, & Vigil, præmissis serio gravium DD.
tum suæ, tum alienæ Diocesis examine, con-
venientiù unanimiter in asserendo talem opi-
nionem esse pro hac Diocesi improbabilem,
eam ut talem declarare, & vetare potest.

Tom. I.

Certum 7. approbationem non esse, nisi
judicium authenticum à Superiore formati,
sive ex famâ, sive ex examine de idoneitate,
nempe scientiã, & moribus personæ quoad
tale officium: esse autem necessariam appro-
bationem etiam in Regularibus, immò in
his, præter illam, licentiã etiam sui Prælati
debet adesse, ut patet ex Bonifacio VIII. re-
lato à P. Moya citando *quest. 2. n. 9. docet*
expressè Tridentinum sess. 23. cap. 15. cujus
verba trahit fideliter P. Moya tom. 1. tr. 2. d.
7. quest. 1. n. 10. adeo ut Confessor, etsi Re-
gularis, ab Episcopo non approbatus, non tã-
tum illicitè, sed & invalidè absolvat, ut fe-
rè omnes docent, & in terminis Alex. VII. Alex.
dum damnat, quòd qui confitetur Regulari, ab VII.
Episcopo, etsi injustè, rejecto, satisfaciatur præcep-
to confessionis: sanè non quia absolvens illicitè
tantum absolvat, sed quia invalidè; nam ac-
cidit, ut Confessor illicitè absolvat, & ta-
men confessus satisfaciatur præcepto. Porro,
quòd aliud sit approbatio, aliud absolvendi
jurisdictio, dubitari nequit: nam approbatio
est judicium de idoneitate, jurisdictio est li-
centiã absolvendi, & separabiles sunt, ut re-
ctè P. Moya l.c. quest. 2. n. 1. & Neuß. d. 71. P. Moy.
& alij passim. Similiter dubitari nequit pec-
caturum graviter Episcopum; qui Sacerdo-
tem Sæcularem, aut Regularem, cum sui
Superioris licentiã præsentatum, repertum
idoneum, præcipue si cum examinet, facult-
tatem absolvendi negaret, nisi adesset gra-
vissima causa, ut conitans est mens T.T. cum
P. Suar. d. 28. de Pœnit. C. de Lugo d. 21. P. Suar.
n. 60. P. Arriag. d. 42. P. Moya, Neußer,
& alij. Et quidem loquendo de Regulari-
bus, adest Bulla Clem. X. quâ præcipit Epi-
scopis, ut Regulares repertos idoneos abs-
que ullâ limitatione admittant. Præterea
adeit patens ratio: quia approbatio non est
merus favor, sed est sententia de idoneitate;
ergo si ea per examen constet, negari nequit:
ergo neque negari potest, eã suppositâ, ab-
solvendi facultas, saltem juxta idoneitatis
mensuram, sive jus absolvendi dimanet im-
mediatè à Papâ, ut in Regularibus, sive ab
Episcopis, ut in Sæcularibus; sive in utris-
que à Christo Domino ex vi Ordinis Sacer-
dotalis, ut mox.

Non immoror in referendis opinionibus
certò improbabilibus, quales sunt, quòd
semel, & in uno loco approbatus sit semper,
& ubique approbatus; & quòd Graduati in
Theologiã Magistri, & DD. non compre-
hendantur à Trident. aut jure Canonico ex-
pressè dicentibus requiri Episcopi approba-
tionem pro confessione Sæcularium: nam
actum agerem; nam ad manum est P. Moya
C ij l.c. quest.

l.c. quest. 2. §. 3. qui omnia pro suo more tractat, & omnem ab opinione negante requiri approbationem Episcopi in Graduatis, tollit probabilitatem, ostendendo quod qui citantur pro negante, injuste citentur. Ratio patet: quia Episcoporum munus est, non tantum suas oves, sed multo magis ovium Pastores cognoscere: ergo omnis Episcopus tenetur suos Confessores approbare; live hoc de idoneitate iudicium concipiat ex publica vite, & doctrinae fama, sive hoc fiat convocando omnes Confessarios, etiam ab Episcopo antecedenti approbatos, ad novum examen. In hoc tamen gravi negotio, gravi circumspectione eget Episcopus, ne eodem pede metiatur summam integritatis, & doctrinae viros, quo metiendi sunt mediocriter docti. Sanè inter homines quadruplex classis distingui potest, nempe Doctores, non docti; docti, non Doctores; docti, & Doctores; nec docti, nec Doctores. Quæ cum ita sint, cur Graduatis, & Magistris eo solo titulo, quod tales vocentur, cum sæpe sit titulus sine re, absque novo examine iurisdicção absolvendi concedenda est? Omnes ergo à novo Episcopo ad examen vocandi, etiam non omnes eodem pede metiendi: examinentur Doctores, non docti, & nec docti, nec Doctores: non examinentur docti non Doctores; & docti simul, & Doctores, si constanti fama, & morum integritate celebres sint: fortè enim sub rationabili propriae existimationis prætextu novum examen renuentes, Dioecesim periculo exponerent, ut Confessoribus magis idoneis destitueretur: quod periculum tandem refunderetur in severiorem Episcopi genium, qui vite integritate, & doctrinae fama celebres, atque adeo longè inæquales, æquali cum dubia integritatis, & doctrinae fama viris adæquare vellet. Summa ergo in Episcopo opus prudentia, cujus munus ex

S. Bonavent. *rom. 1.* in Pfalt. exponens illud Psalm. 118. *Quomodo dilexi, est, consilia trutinare, eloquia mensurare, opera maturare.* At non minori vigilantia opus; passim enim contingit, ut Confessores Analphabeti, nempe qui omnem suam doctrinam à brevissima Summa vulgari idiomate conscripta hauserunt, peracto primo examine vix intra annum soleant suum *Morale Breviarium* (liceat mihi ita loqui) revolvere; quin uno anno morigerati subsequenti anno indignis moribus assuescant, & consenescant. Hi repetito examini subdendi, quin sæpe reprobandi; etenim ut experientia teste didici, hi Analphabeti, ne idiotæ habeantur, solent quemcumque implexissimum casum, nullo habito ad impedimenta, ad censuras, ad Leges Ca-

nonicas respectu, & neutiquam ponderatis loci, personæ, &c. circumstantijs, omnia illico resolvere. Res sanè stupenda! quod quid tanto labore, & tudore, ut Dei, aut Ecclesiæ leges exponerent, ab Antiquis Juris Canonici, & Theologiæ DD. necnon à frequentibus, præsertim ab inclytà S. Thom. & Scoti familiâ, quidquid, inquam, tanto sudore partum, Confessarius Analphabetus, spreto copiosis illustrium dictorum viro- rum sætibus, omnia, uno pede nixus, indubius resolvat, omnia sine circumspectione absolvat, omnia sciat, quia omnia nescit.

Mihi plurimis de causis, etiam semper infra N. meritum, celebrandus occurrit Illust. D. 125. Episcopus Leriensis D. Alvarus de Abran- ches, cujus antiqua sanguinis claritas, mitissi- ma morum suavitatis, prodiga in pauperes charitas, impigra rei Divina sollicitudo, infomnis in suum gregem vigilantia conspicua est. Hic ut ad suæ Ecclesiæ regimen assumptus, omnes suo Pastoralis edicto Confessores ad examen vocavit. Resistere (quis crederet?) aliqui nimiam austeritatem incusantes; quasi verò Episcopus à Jure naturali, & Divino non obligaretur, destinandos pro suis ovibus Confessarios cognoscere, quin obligaretur non cognoscere. Obstetit constantissimus Præsul, suo juri, & conscientia in-nixus, prudenter arbitratus (quod utinam plures arbitrantur!) præstare pauciores, præstantiores tamen, suo gregi Confessarios præficere, quam tumultuariè omnes antiquos Confessores, omisso examine, admittere: & ne quid suæ Dioecesi decisset, pro summa in nostram minimam Societatem propensione, Nostrorum operâ usus est, qui liberali manu de alimentis proprijs provisi, singulis quadragesimis, expensis proprijs, totam suam Dioecesim concionando, confessiones excipiendo, Christianæ Doctrinae rudimenta docendo, jurgia componendo, malos ad bonam frugem revocando, pauperibus elemosynas opitulando, excurrebant. Utinam in Dei Ecclesiâ mitissimus æquè ac constantissimus laudati Episcopi zelus floret! Ut enim nec Regularium, nec Sacerdotum castra præstantiora, quia numerosiora, nam sæpe multiplicatur gēs, quin magnificetur lætitia, ita nec Dioeceses pientiores, quia Confessarijs sine delectu admissis copiosiores. Ratio patet: quia nemo, etiam Regularis, sine Episcopi approbatione potest confessiones excipere: ergo Confessor, etiam Regularis, approbandus: ergo cū approbatio non sit nisi iudicium, & sententia Episcopi de Confessoris idoneitate; hæc autem Episcopo neutiquam constet, nā sæpe ab alio approbati, tales non

S. Bonavent.
Pfalt.
118.

non sunt, consequenter inest Episcopis obligatio, & jus convocandi omnes ad examen, et si cum aliquibus habitis constanti fama ut idoneis, discretè dispensare possit, ne examinentur: quare qui Episcopis presentari nolunt, ne novum subeant examen, satis indicant se ratione scientiæ posse esse idoneos; non tamen esse ratione morum, cum tam patenter resistant juri, quod Episcopus habet in illos. Præclare S. Bonav. tom. 1. in Psalt. cap. 5. v. 11. quod veritas mentem tumentem humiliat: ergo hi docti Confessores examen sue sapientiæ renuentes, nisi mentis tumorem humili ad edictum Episcopale obedientiæ excutiant, indicant sapientiam suam non esse veram.

S. Bonav. vult.

N.

126.

Duran.

Palud.

Capreo.

M. Can.

P. Ami.

Neuff.

Frances.

S. Bonav. vult.

Diana.

Dubitari hic posset, à quo jurisdictione absolvendi emanet: an immediatè ab Ordinis Sacramento; an à Papà, & Episcopis? Sed de hoc legi possunt T. T. Sunt qui sustinent derivari immediatè ab Ordine. Ita Durandus in 4. dist. 19. quest. 2. Paludanus, M. Cano, Capreo. P. Amicus d. 14. l. 1. n. 10. & alij. Sunt qui à Papà. Ita plerique cum Neuffer d. 70. quest. 2. Frances in Semicenturia Consult. Moral. Hoc mihi perinde est, etenim, et si claves absolvendi, ut vult S. Bonav. in 4. d. 17. art. 2. quest. 2. pag. 225. sequantur infallibiliter Ordinem Sacerdotalem quantum ad essentiam, non tamè quoad executionem, & usum, adeoque et si potestas absolvendi esset à Christo D. semper intelligendum est, nisi Ecclesia resistit: ergo quoad praxim, utraque speculativa opinio concordat, quod nemo absolvere possit, nisi assentiente Ecclesià. Hoc certum, quod facultas Regularium, si non est à jure Divino, est immediatè à Papà: at Sacerdotum Sæcularium, si non est à jure Divino, est immediatè ab Episcopo. V. Branc. Neuffer d. 71. Dian. p. 8. r. 1. ref. 84.

§. III.

Mea Mens.

SUMMARIUM.

Si Episcopus cum omnibus fere suis, aut alijs T. T. aliquam opinionem judicet certò in sua Diocesi si improbabilem, potest eam vetare, quin potest à Confessarijs petere juramentum, ne eam præstent, si media suavia expertus sit inutilia, n. 127.

Episcoporum autoritas infra Papam maxima, n. 129.

Episcopus nequit approbare quoad certò improbabiles, n. 130.

Confessario nequit ea opinio apparere probabilis, nisi ex errore, n. 131.

Libertas vestiendi damnata de mortali ab Innoc.

XI. & deobligatio à jejuniis in vescentibus carne à Clemente XI. ibid.

Non omne alicubi licitum, est ubique licitum, ibid. & n. 135.

Corfica Incole proni in vindictas transversales, n. 132.

Cajus rarus, n. 133.

Episcopus potest à Confessarijs petere juramentum, n. 134.

Satis pro juramento gravis necessitas, ibid.

Falsa remedia sunt veris periculis graviora, ibid.

Dico, quod Episcopus opinionem, re- tentis iisdem omnibus circumstantijs, alibi apud notorios T. T. certò probabilem, nequeat in sua Diocesi declarare, & vetare, ut improbabilem. Quod si circumstantiæ in sua Diocesi mutantur, ita ut non tantum suorum, sed etiam aliorum Doctorum unanimi judicio censeatur incertò probabilis, tunc Episcopus poterit, quin debeat, notare, & vetare suo fallibili judicio ut improbabilem. Immo poterit juramentum à Confessarijs exigere, si aliud suavius medium, quo utendum prius esset, inutile fuerit expertum.

Prima pars constat ex omnibus adductis N. pro licito usu cuiusque certò probabilis, si- ve propriæ, ut latè ostendam disp. 11. five alienæ, disp. 12. ergo si opinio maneat in sua Diocesi certò probabilis, Episcopus eam vetare nequit.

Secunda pars probatur: quia opinio potest, N. mutata, vel una tantum circumstantia loci, aut personæ, de certò probabili transire in certò improbabilem, ut patet ex n. 122. ergo si in aliqua Diocesi transeat in certò improbabilem, potest, immò debet Episcopus eam suo fallibili judicio vetare, & declarare improbabilem. Consequentia constat ex dignitate Episcopali, quæ infra Papam est ex summis, & longè excedit Theologorum, immò Prælatorum Regularium, & Vniversitatum autoritatem: ergo si his inest potestas, vel purè prudentialis, vel mixta jurisdictione, declarandi, & vetandi aliquam opinionem ut certò improbabilem, longè magis totum hoc inest Episcopis, quorum vigilantia in ordine ad avertendam à suo grege perniciosam doctrinam, est longè stric- tior, ut patet ex Apost. ad Titum cap. 1. cui incumbit onus exhortandi doctrinam sanam, & contradicentes redarguere.

Confirmo 1. Confessor, ut dicam disp. 12. N. nequit juxta plerosque T. T. absolvere po- nitentem, si hujus opinionem non tantum judicet